

runt; vel quia cohorti superiores erant , vel quia ad illos spectabat cohortem congregare. Non ergo milites infimæ notæ erant , quales esse debuissent , si lictores fuissent . Milites quidem erant , aut ordinis supra cæteros superioris, vel saltem cum cæteris æqualis. Idem autem fuerunt milites , qui Christum flagellarunt , & milites , qui eum coronarunt ; ut nuper cum Cornelio ex verbo illo tunc deduximus . Non ergo milites , qui Jesum flagellarunt , fuerunt conditionis sic imæ , ut lictores simul fuerint , & milites . Et quia coronatio non erat actio servientium , quemadmodum erat flagellatio; quia ista siebat ad poenam, illa ad ludibrium; ideo coronatio solis militibus , flagellatio vero militibus Romanorum , & Judæorum ministris , adscribitur.

Denique milites , qui Christum coronarunt , fuerunt pariter iidem , ac milites , qui Christum crucifixerunt . Subdit enim Matthæus : *Et postquam illuserunt ei , exuerunt eum chlamyde , & induerunt eum vestimentis suis , & duxerunt eum , ut crucifigerent .* Ad quæ ait Victor in cap. 15. Marci : *Ubi milites ad satietatem usque Christum Redemptorem nostrum ludibrio habuerunt , adduxerunt eum , ut crucifigerent .* Insuper illi iidem milites , qui Christum cruci affixerunt , Christi etiam vestimenta inter se diviserunt . Unde additur in Euangeliō : *Postquam autem crucifixerunt eum , diviserunt vestimenta ejus , sorte[m] mittentes : ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea , & super vestem meam miserunt sortem .* Et Joannis 19. 23. dicitur : *Milites ergo cum crucifixissent eum , acceperunt vestimenta ejus , & fecerunt quatuor partes , unicuique militi partem , & tunicam . Erat autem tunica inconsutilis , desuper contexta per totum .*

Di.